



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Ærumnæ D. N. Jesu Christi**

**Thomé <de Jesus>**

**Monachii, 1676**

Ærumna L. Christi Agon & Mors.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45834)

amorem & gustum mundi, & omnium rerum ejus: sit ille mihi crucifixus, & ego illi. Non sit pax inter nos duos: agnoscam illum esse verum venenum animæ meæ, & ille me tradet ut hostem. Et quia tu, Domine, voluisti sumere hunc haustum, ut amorosa viscera tua, ad quæ non penetrârunt flagella & clavi, cruciarentur illo, ne quidquam esset, quod non affligatur pro me; fac in me hanc mutationem, ut in te solo inveniam gustum, amem te solum, & quidquid tu non es, mihi videatur amarum: quia tu es superna dulcedo, perfecta suavitas, & purus amor hujus animæ.

V. Et quid magnum est, ô bone Jesu! si non habeam gustum, nisi in amore ac servitio tuo, cum tu inter summos dolores non recusaveris bibere potum tam acerbum, & quasi recenti aqua sitim extinxisses, & abluisses omnem dolorem, & respirâsses, gratulabundus dixisti: *Consummatum est*: jam possum liberè redire ad Patrem, siti patiendi expleta. Quare ô Deus meus! non habeo hunc gustum in te, ac rebus tuis? quare non gratus est mihi tempus vitæ, quo patiar aliquid pro te, & in obsequio tuo? Totus in omnibus es amorosus: ubique ostendis verè paterna viscera, studiosa meæ salutis. Adoro te, Domine: laudo hunc amorem & curam, infinitas gratias ago pro gustu, quem habes in benefaciendo mihi. Sit hic gustus tibi pro medio, ut ab isto corde tollas omne frigus, & omnem tepiditatem in tuo servitio, faciâsque me perfectum imitatore tuum, & ut sim servus perpetuus tuæ voluntatis & amoris.

## Æ R V M N A L.

### Christi Agon & Mors.

L.



Ixit Christus Dominus noster in hac peregrinatione, triginta tres annos, ac tres menses, à nativitate usque ad mortem: sed à conceptione & incarnatione triginta quatuor annos: quos omnes à primo instanti traduxit in continuis & magnis ærumnis. Etenim annos infantie propter Herodis persecutionem transegit in Ægypto extra patriam;

*Tota vita Christi plena fuit ærumnis.*

triam; & eos quidem, cum reliquis usque ad trigesimum, cum perpetua oratione pro redemptione nostra, & miris exemplis virtutum, in obscuro, & ignotus mundo. Tres ultimos impendit prædicationi Regni cælorum, & Legis Evangelicæ, cum plurimis maximisque miraculis, ac beneficiis collatis in homines. Omnes hæ tres partes plenæ fuerunt immensis ærumnis, quæ instar magnorum fluminum, aquis plurimorum meritorum redundantibus, exornârunt se demum in Passionem, velut in immensum Oceanum. Fuit sacratissima vita ejus brevis quoad annos, cum in flore ætatis sit mortuus; longa tamen quoad ea, quæ gessit: nam explevit omnia, propter quæ venerat, & infinita merita congeffit, quibus obtinuit à Patre, quidquid voluit.

*Factus est  
similis pec-  
catoribus,  
excepto pec-  
cato.*

II. Non pepercit unquam corpori suo, & humanitati, quidquid poterat pro nobis; nec omisit per omnia similis fieri miseris peccatoribus, excepto peccato. Ideo abscondit gloriam animæ suæ, humiliavit majestatem suæ personæ, & omnibus afflictionibus permisit se ipsum. Dedit se in manus inimicorum, & remedio nostro impendit, quidquid habuit à nostra natura, membra, sanguinem, vires, honorem, ætatem, omnes actiones & cogitationes suas, ac totum amorem. Restabat sola vita, quam, ut videtur, conveniebat nunquam extingui, ut semper Dominum haberemus viventem, qui tot fecerat demonstrationes sui erga nos amoris infiniti: & licet commune sit decretum, ut omnes semel oppetant mortem; non tamen videtur ei subjici debuisse eum, qui vera est Vita. Sed ille maluit perennem vitam agere, resuscitatus post mortem, quam non impendere pro nostra salute id, quo nihil melius habere se existimant homines. Non potuit verò mori ex morbo, cum esset perfectissimæ complexionis, quæ nullam admittebat humorum inordinationem ac morbum. Sed neque decuit eum extingui per infortunium aliquod: nam etiam casus hi fortuiti nobis, ordinantur à Deo; & sic videretur occidisse se ipsum; quod non decuit auctorem vitæ ac Salvatorem, cujus erat, in vita & in morte dare exempla summæ virtutis. Ergo dolore & cruciatibus extingui debuit, in quibus amorem suum erga nos ostendit, in immensum auxit thesaurum meritum, & satisfecit pro nostris peccatis, Patri immolando se ipsum.

III. Peractis igitur omnibus, quæ ex voluntate Patris oportuit,

portuit, & exantlatis, quæcunque voluit, morti in se potestatem <sup>Fatales gra-</sup> permisit: atque ita fuso jam omni ferè sanguine sui corporis, post <sup>stus,</sup> tot cruciatus ac dolores adeò debilitatus erat, ut inceperit animam trahere; non subito positurus eam, sed paulatim, ut agon esset tantò acerbior. Jam stringebatur pectus ac deficiebat anhelitus, jam rursus collecto spiritu respirabat paulò fortiùs: atque ut non jacebat extensus in lecto cum aliqua quiete, sed clavis affixus toto corpore pendebat in aère, dolores ejus tunc fuerunt majores, quàm sint ullius hominis in agone jacentis: & quò magis accedebat ad mortem, eò magis ingravescebant membra, & augebant dolorem pleno semper judicio, ut sentiret magis, quæ patiebatur. Per nimiam debilitatem caput inclinatum, clausi fuerunt oculi divini, qui consolatio fuerant omnium afflictorum, labia frigida & nigricantia, quæ tot suaves ac divinas voces emisserant, modò clauderantur, modò rursus aperiebantur ultimis & lethalius modis. Sed ut constaret, cum neque doloribus, neque suppliciis ullis extingui potuisse nolentem, voluit, ut vivendi dederat, ita & bene moriendi dare exemplum; & eo tempore, quo naturaliter solet intercidere loquela, divina virtute sese corroborans, elevavit caput, aperuit oculos, ac defixit in cælo, & voce ram alta, quâ sanus vix posset, animam suam Patri commendavit, dicens: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.* Quo die <sup>Luc. e. 23.</sup> rursus inclinavit caput, in signum perfectæ obedientiæ, & ore <sup>v. 46.</sup> aperto cum ultima respiratione emisit animam & mortuus est, qui <sup>Mortua est</sup> <sup>vita nostra</sup> dat omnibus vitam æternam: ille focus peregrinationis nostræ, ille consolator afflictionum nostrarum, ille fidelis amicus, qui omnibus destitutos non deserit: ille, qui, uti non est mortuus, ut discedat à nobis, ita moriendo nos docuit modum moriendi æquo animo & securo, in perpetua ipsius societate; qui modus est, subicere se divinæ voluntati, & offerre in paternas manus <sup>aman-</sup> <sup>tissimi</sup> Creatoris.

IV. Conferebant quondam inter se aliqui SS. Patres de <sup>Quis opti-</sup> <sup>mus se ad</sup> <sup>mortem pa-</sup> optimo modo se parandi ad mortem: quisque protulit, quod suus <sup>v. 21 di mo-</sup> ei spiritus dictabat: Unus perfectam contritionem de peccatis, <sup>& dus,</sup> alius vim Sacramentorum, alius puram orationem, alius opem <sup>favorem</sup>

Cccc

favorem

favorem Sanctorum. Ultimus dixit, se pro bona morte nihil desiderare, nisi perfectam conformitatem cum voluntate divina. Neque hoc sine magna ratione; nam illa resignatio facit contritionem perfectam, disponit animam ad percipiendam efficaciorum operationem Sacramentorum, majore cum puritate elevat mentem in Deum, conciliat favorem Sanctorum, & super hæc omnia humiliat spiritum, ut majore cum fide, spe & charitate Deo nitatur, sibi diffidens, & in eo solo confidens: quæ res ei maximè placet. Præterea eximit metum pœnarum, quo amor proprius eo tempore inquietat animam timore servili: nam cum omnia in potentes Dei manus resignet, non vult aliter tractari ab eo, quàm placeat ipsi. Denique renuntiat omnibus, quæ diligebat, & quæ in illo tempore tam periculoso possent intercedere inter Deum & animam: quia tum amat solam bonitatem voluntatis divinæ, & committit se immenso illi pelago misericordiæ, nihil aliud cogitando, quàm ut se det in manus ejus, cui credit, & quem scit amore suæ salutis mortuum esse. Atque ita quicquid boni optari potest, ut bene quis finiat vitam, includitur in plena resignatione sui in manus Creatoris, & veri unicusque Salvatoris cum fide & humili fiducia in ipso. Totum hoc includitur his verbis: *Pater,*

*Luc. c. 23. in manus tuas commendo Spiritum meum. Pater,* nomen est amorem accendens. *Manus Dei* docet fides abundare bonis & miserationibus, & posse salvare, supplendo omnes defectus, quibus fit, ut illa bona non mereamur. *Commendo,* vox est confidentiæ & humilis resignationis. *Spiritum meum,* indigentem omni bono incluso in Deo, ut ea in ipso quæramus: & simul omnia restituendo illi, tanquam vero domino, qui tam potest ea restituere resuscitando, quàm dedit creando è nihilo. Ubi etiam discant, qui alios ad mortem disponunt, ut ritè confessos moneant oblivisci sui ipsorum, & pœnarum, quas meriti sunt, statusque sui post mortem futuri: toto corde commendent se in manus Dei cum fide & fiducia in illo, nihil aliud petendo, quàm ut sua divina majestas glorificetur in sua creatura eo modo, qui maximè ipsi placuerit. Hic enim est modus optimus piè moriendi, & reddit securum de salute.

*Quid mori-  
turo facien-  
dum.*

V. Mor.

V. Mortuo Domino nostro sol recuperavit suum splendorem, serenatum est cælum, & alia contigerunt notabilia, è quibus apparuit satis, quisnam fuerit Christus. In templo Jerosolymæ servabatur Arca Dei, cum Tabulis legis; cui loco velum operansum erat, neque ullus intrabat in eum, nisi summus Sacerdos multis cum cæremoniis. Significabat hoc velum, omnia, quæ in lege Mosaica erant, esse occulta & figuras Christi veri Messia, legis Gratia tradenda ab ipso. Ut igitur appareret impletas esse figuras, & apertam Veritatem, tempusque jam venisse, quo Christus ab omnibus agnoscat, recipiatur, & colatur in toto mundo; Christo in cruce moriente, Sol obscuratus, & velum templi scissum est medium à summo usque deorsum, & patuit omnibus, quod usque in eam diem latuerat: atque ita cum morte Christi finita est lex timoris, ac servorum; confirmata verò lex amoris & filiorum.

VI. Contigit etiam, ut Centurio, qui cum sua cohorte servabat JESUM, audita voce Domini, quæ supra vires humanas erat, ederet hanc professionem de illius divinitate, quam Deus revelante jam dudum fecerat Petrus, dicendo: *Verè filius Dei erat* Matth. c. iste. confessus eo mortuo, quis fuerit, quem vivum ut latronem 27. v. 54. servaverat, & falsum regem ac deastrum, qui nullum juvaret. Similiter multi ex his, qui eum blasphemabant, viso terræ motu, solis obscuratione, clamore, quo mortuus est, soléque mox iterum lucente, pœnitentes facti sui, & percutientes pectora sua domum redibant. Tum revocabant in memoriam ejus miracula, laudabant doctrinam, agnoscebant crudelitatem, & injustitiam, quæ in mortem adactus est. Tum requirebant ejus dulcem conversationem, tota civitas videbat se destitutam ejus præsentia: agnoscebant innocentiam mitis Agnelli, incipiebat virtus Sanguinis ejus emollire dura corda crucifixorum, judicabatur sanctior iis, à quibus neci traditus erat. O imitatores JESU Christi Crucifixi! suscipite defensionem honoris ejus, & constanter ostendite mundo vestrisque persecutoribus, quod, cum pro illo patimini in cruce vobis imposita, tum verè triumphetis & vincaris cum illo.

*In Cruce  
triumphan-  
dum &  
vincendum.*

572  
EXERCITIUM  
Circa Mortem Christi.

I.

**O** Bone Pastor, perfectissime Amator ovium tuarum! venit hora, quâ prædixisti te animam tuam positurum pro ipsis, quod dicebas esse signum summi amoris, cum quis moritur pro suis amicis. O vere amice animæ meæ! ego te cupio vivere: nam dudum aliunde nimis bene agnovi amorem tuum, nec est, cur ultra tantos cruciatus, insuper ejus demonstrandi causâ suscipias agonem mortis. Et quomodo mors audebit accedere ad te, cum tu vera sis vita? quomodo potes exire ex hoc mundo, me hîc relicto? quia tamen subire vis hæc luctam, descende prius de cruce, & veni in hæc brachia mea, ut suavius moriaris in eis. Debeo tibi valedicere supremo complexu, tu verò dare mihi benedictionem. Auferes tecum cor meum, vel me simul tecum interimes. In ista cruce Deus animæ meæ, sunt omnia tibi nimis gravia: in ea sanctissimum corpus tuum, debilitate sua ingravescens, in singula momenta auget tibi dolores vulnerum; ecur non saltem ante mortem parùm respiras? Debētne hoc durare usque ad finem? O amorem constantem! ô perseverantiam, quâ nihil admittis opis usque ad finem, ante quem te nihil putas fecisse, neque contentus es!

*Constans  
amor Iesu,*

II. Manebo hîc, bone JESU, & me ad pedem crucis abjiciam, deplorans hæc separationem, cujus causâ sunt mea peccata. O anima sanctissima! nescio quid à te petere debeam; ut exeas citò, vel tardè? si citò, adimes vitam cordi meo: si tardè, cruciabis acerbissimè innocentissimum Agnum. Transfer hos dolores in me, & tunc age, quod voles. O mi Pater! qui tanto impendio me adoptasti, dic pro valedictione huic miserabili animæ aliquod verbum, dic aliquid, quod memoriâ servem, ne unquam tui obliviscar: da mihi benedictionem, quandoquidem necesse est corpore separari: maneat anima mea in tui amore, quæ renovet semper tui memoriam, ô bone JESU! ut semper vivus mihi sis præsens. O JESU, amor animæ meæ! quomodo mihi non deficiunt oculi & respiratio, dum rigeſcunt hæc membra, quæ sunt robur

*Amorosum  
desiderium  
animæ  
animæ,*

robur animæ meæ? Jam, cum caput sustentare non valeas, sed ad me inclinatum habeas, aperi pios oculos tuos, priusquam deficiat visus: aspice me cum misericordia: penetra luce illorum cor meum, & cape amore hanc animam. Si tuus amor in ea non manserit vivus, quomodo sine te vivam?

III. O mi Pater amantissime! ô sponse animæ meæ! ô sodalis ærumnarum mearum! ô amice fidelissime si vivam sine te, maneo sine patre, sine amico, sine domino, sine omni bono. Bene potes, quando ita vis, mori, ô Salvator animæ meæ! ut me tamen non deseras; quia moreris pro mea salute. Mi Domine, ac tota spes mea! quandoquidem moreris amore mei, & hic tibi infert lethalem agonem, negare mihi non potes, quod in hac ultima hora à te petam. Fecisti jam testamentum, tradis animam Patri, Corpus relinquis sepulturæ, opes tuas aufers tecum: & mihi, Pater ac Domine, quid relinquis? Relinque mihi saltem crucem: sit illa pars mea & pignus misericordiæ tuæ. Ignosce mihi, Deus meus, peccata mea in hac hora: & cum in vita pro peccatoribus tantum feceris, & oraveris, moriens mihi veniam negare non potes. Hic Domine, confiteor; & communico tecum omnia mala mea. Peccavi in te, Pater amantissime! tanquam degener Filius: peccavi contra te, ô vere amice! velut ingratus: recipe me in hac hora, quâ recedis à me, ut semper posthac vivas in me. Relinque mihi, ô amor meus! pro hereditate hanc crucem, & fontem lacrimarum, ut iis irrigetur pauper hæc anima in hoc sterili & arido exilio; & fontem aquæ vivæ tui amoris, quo rigas cælestem Jerusalem, quò nunc vadis.

*Cruce Christi  
si sit hereditas  
nostra*

NB. *Sub expiratione Domini homo se prosternat humi, & animo complexus crucem, dicat, quod sentiet, vel si defuerint verba, arte stringat IESUM tacitus: ipse enim intelligit interiora nostra. Quia hic locus est aptissimus ad alligandam animam Domino, de quo nec lingua, neque calamus potest satis dicere.*

VALE DICTIO.

IV. Proficiscere sanè feliciter, bone JESU, quando sic ipse vis. Proficiscere spes meæ, & requiesce à laboribus tuis: impone finem exilio tuo. Proficiscere, da bono latroni, quod ei promisisti.

Cccc 3

Susci-



Anima bo-  
ni latronis  
promissa  
peccatorū.

Suscipe animam ejus pro primitiis & arrha omnium peccatorum, & hujus etiam animæ meæ, quam relinquis in hoc exilio & vita mortali. Descende, Consolator supreme, ad inferos, dirue portas Inferni, illumina tenebras ejus, monstra te sanctis Patribus, qui ad te suspirant; fac finem longæ expectationi, & beatos fac tuo aspectu. Vade, Domine, ad Patrem tuum, qui te vocat, vince tua morte mortem nostram: fac, ut ea posthac sit suavis, quia debet esse finis desideriorum tuorum & viâ, quâ veniamus ad conspectum tuum, ut semper tecum simus. Vade, gloria mea: aperi viam hactenus occultam & inaccessam, nec differas redire, sicut promisisti. Contrahe terminos trium longissimorum dierum, & noctium: nihil id oberit veritati tuorum verborum: interim relinque mihi tuam fidem, spem, & charitatem. Aspice, Domine, dolorem animæ meæ, quem capio ex tuo discessu, & spem ac desiderium, quo teneor, videndi te redivivum, gloriosum, immortalem, formosum, suavem, amorosum, perpetuum, & unicum socium spiritus mei. Redi, ô vera Vita! redi citò ad vitam, ut anima mea vivat tecum, sicut desiderat, te possidendo & à te possessa, ac transformata tui amore. O unicum, ô verum, ô supremum bonum, ô dulcis JESU animæ meæ!

DE VERBIS, IN MANVS TVAS, &c.

V. Pater æterne, Deus totius consolationis, & tu Spiritus Divine & unice Consolator, Deus meus ac Dominus meus! recognosce hæc ultima verba Domini divini Agnelli, Redemptoris mei. Pro me illa protulit, & pro salute mea: mihi illa reliquit in ultima hora vitæ suæ, ne unquam excidant animo meo, & ut tu me suscipias. Agnosce vocem divini Agnelli, qui tollit peccata mundi: quia hæc ultima verba consonant primis, quæ dixit in pueritiâ: *Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Fecit hoc semper, & obediens fuit usque ad mortem: & ut semper ob oculos habuit Patrem æternum, sic ei se commendat nunc moriens. Tota hæc obedientia, Deus meus, sunt meæ divitiæ: verba ejus mihi pro thesauro sunt, & in his reliquit mihi unicum, & singulare remedium pro omnibus meis necessitatibus; hoc est, manus tuas plenas misericordiâ, infinito amore, ac bonitate.

Luc. c. 2.  
v. 49.

tate immensa. Docuit me semper ad eas recurrere, ut eis vivam, & confidam in omnibus periculis. Divinus hic Magister docuit, ubi ipse est, fore etiam suos: & propterea se coniecit in has manus, ut in eis ipsum quæramus & inveniamus.

VI. Si tuæ manus me dimittant, ô Deus totius consolationis! tunc verè sum derelictus & miserabilis: cum verò me sustentant & custodiunt, sum securus, fortis, & affluens omni bono. Ergo mi Pater æterne! virtute verborum Domini me debes recipere pro tuo; quia ipse obedientia & morte sua id meruit, quod ego sine ipso non potui. In manus tuas, Pater ac Dominus meus, commendo spiritum meum, animam meam, corpus meum, vires meas, ac desideria mea: illis offero me totum: in illas me resigno, qualis fui hucusque, ut ignoscas; commendo plagas meas, ut sanes; cæcitatem meam, ut illumines; tepiditatem, ut inflammes; errores, ut in viam reducas; & omnia mala mea, ut emendes. Commendo, Deus meus, in sacratissimas manus tuas me, qualis sum, & qualem tu melius nôsti, debilem, miserabilem, faucium, inconstantem, furdum, nudum, egentem omnibus bonis, nihilum, & pejorem nihilo per mea peccata, miseriorem, quàm possim dicere. Suscipe me, Deus meus, & fac me, qualem esse vult hic Agnus. Recommendo, offero, & renuntio in has manus divinas omnia mea, cogitationes meas, affectus, successus, consolationes, labores, & quidquid nôsti venturum super me. Omnia, Deus meus, dirige in gloriam tuam: doce me facere in omnibus voluntatem tuam, & in omnibus rebus agnoscere opus manuum tuarum, neque aliud velle, sed in eo acquiescere.

VII. O Manus, quæ fecistis cælum ac terram pro me, & omnia propter me conservatis, & me creâstis propter vos, non permitatis, ut recedam ab eo, propter quod fui creatus! In his manibus habeo divinum hunc Agnum, & ipsi me oportet semper esse conjunctum. Cum ipso & in his manibus, amorosè dormiam, & quiescam in pace, quia moriens mihi spem in illis reliquit, & in infinitis misericordiis earum. Ibi me constituit, velut in unico & singulari meo refugio. Nunc ergo, Deus meus, quia vivo per has manus, & ipsæ mihi dederunt esse, quod habeo; fac ut in illis vi-

viam

*Promeritua  
nobis est  
Christus,  
quo nos  
mereri non  
poteramus.*

vam & moriar, perseverans in amore hujus Domini mei, & à solis ipsis petam & expectem omnia bona, ut ab eisdem in societate Domini mei coroner in cælo.

## A D C R V C E M.

*Cruz Redemptoris sanguine decorata.*

VIII. O bella crux, & splendidior ac pretiosior à sanguine Christi, omnibus gemmis! Tu fuisti finis laborum ejus: tu initium gloriæ, tu victoria belli, tu finis ejus exilii, tu ingressus in gloriam & possessionem regni ejus; tu es hereditas mea; tu pars, quæ me contingit, relicta mihi à Domino. Pauper in te mortuus est, nudus, & spoliatus omnibus rebus, in tui solius complexu. Te adoro, te amplector, te recipio pro summo thesauro, ô splendidior stellis, fortior exercitibus, triumphatrix omnium inimicorum tuorum! & ut talis manes Domina campi, potens & invicta, quam nemo valet prosternere. Jam te cælum agnovit, tremet Infernus, timet Mundus, & intelligit Satan, eum, qui in te expiravit, esse verum Filium Dei. Jam te honorant, quos tui pudebat, posteaquam latronem potuisti transferre in cælum. Tu es Corona mea, gloria mea, thesaurus meus; & omnia bona, quæ habeo, à te mihi proveniunt. Jam perdidisti antiquam asperitatem tuam: es jam suave jugum & pignus gloriæ, principium regni cælestis, quies & robur omnium ad te recurrentium. Adoro te, Arbor vitæ: adoro te, Fons sapientiæ: adoro te, Fortitudo contra inimicos: adoro te, Fornax ardens continuo amore Dei, & amantissimi Agni. Recipe me in brachia tua, sanctifica me, sustenta me. Recipiat me per te, qui per te me redemit, & in te amore mei est mortuus. Amen.

O sanctissima Mater Dei, Regina Angelorum, gloriosa stella maris, Dux peccatorum! quæ plena doloris ac sensûs aspicias discedentem à te Dominum, quem genuisti, cum fide ac certa spe videndi redivivum tertia die: fac, Domina, ut sim crucifixus cum eo, & ut me in suum recipiat, ut moriar & vivam, & postea regnem cum eo. O Curia cælestis, quæ tecum hunc divinum Agnellum habes jam immortalem, ac gaudes eo secunda nunquam perdendi, juva hunc pauperem exulem filium Evæ, ut vivat semper crucifixus cum eo, & per eum coronari mereatur! Amen.

IN